Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25972
Copyright: Admont, Benediktinerstift

fulgentibus turpi nuditate distentus proponeret et paparet populis. Quid illud? Nonne
debet movere acutos homines vel quales cumque homines? Non enim ad hoc ingenii
opus est excellentia, ut deposito studio contentionis attendant. si mundi animus deus
est eique animo mundus ut corpus est, ut sit unum animal constans ex animo et cor
pore, atque iste deus est sinu quodam naturae in se ipso continens omnia, ut ex ipsius anima
qua vivificatur tota ista moles vitae atque animae cunctorum viventium pro cuiusque
nascendi sorte sumantur, nihil omnino remanere quod non sit pars dei. Quod si ita est,
quis non videat quanta impietas et irreligiositas consequatur, ut quod calcaverit quisque
partem dei calcet, et in omni animante occidendo pars dei trucidetur? Nolo om
nia dicere quae possunt occurrere cogitantibus, dici autem sine verecundia
non possunt. Si autem sola animalia rationabilia sicut sunt homines partes dei esse conten
dunt, non video quidem si totus mundus deus est, quomodo bestias ab eius partibus separent.
Sed obluctari quid opus est? De ipso rationali animante id est homine, quid infelicius
credi potest quam dei partem vapulare cum puer vapulat? Iam vero partes dei fieri la
scivas iniquas impias atque omnino damnabiles quis ferre possit, nisi qui prorsus
insanit? Postremo quid irascitur eis a quibus non colitur, cum a suis partibus non colatur? Restat
ergo ut dicant omnes deos suos habere vitas, sibi quemque vivere, nullum eorum esse partem
cuiusquam, sed omnes colendos qui cognosci et coli possunt, quia tam multi sunt ut om
nes non possint. Quorum Iuppiter quia rex praesidet, ipsum credo ab eis putari regnum
constituisse vel auxisse romanum. Nam si hoc ipse non fecit, quem alium deum opus tam magnum
potuisse aggredi credant, cum omnes occupati sint officiis et operibus propriis, nec
alterius irruat materiem? A rege igitur deorum regnum hominum potuit propagari et augeri.
Hic primum quaero, cur non etiam ipsum regnum aliquis deus est. Cur enim non ita sit, si victoria
dea est? Aut quid ipso Iove in hac causa opus est, si victoria faveat sitque propitia
et semper eat ad illos quos vult esse victores? Hac dea favente et propitia, etiam Iove
vacante vel aliud agente, quae gentes non subditae remanerent, quae gentes non
cederent? An forte displicet bonis iniquissima improbitate pugnare, et fi
nitimos quietos nullamque iniuriam facientes ad dilatandum regnum bello spon
taneo provocare? Plane si ita sentiunt, et approbo et laudo. Videant ergo ne
forte non pertineat ad viros bonos gaudere de regni latitudine. Iniquitas enim
eorum cum quibus iusta bella gesta sunt, regnum adiuvit ut cresceret, quod utique parvum
esset, si quies et iustitia finitimorum contra se bellum geri nulla provocaret iniuria.
Ac sic felicioribus rebus humanis omnia regna parva essent concordi vicinitate
laetantia, et ita essent in mundo regna plurima gentium, ut sunt in urbe domus
plurimae civium. Proinde belligerare et perdomitis gentibus dilatare regnum ma
lis videtur felicitas, bonis necessitas. Sed quia peius esset ut iniuriosi iustioribus
dominarentur, ideo non incongrue dicitur etiam ista felicitas. Sed procul dubio feli
citas maior est vicinum bonum habere concordem, quam vicinum malum subiugare